



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

XVIII. Quid circa reservationem culparum in Regione statuerit Clemens
VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

Sed hoc etiam argumentum licet fit satis probabile, non tamen conuincit, quia illud antecedens non ab omnibus recipitur: Nam enim tenet oppositum, cui ego magis adhæsi in 4. tom. in 3 p. de Sacramento Penitentiae.

XV. Addendum ergo est, nouitium ita mutare domicilium, ut omnino fiat extra iurisdictionem secularium pastorum, & ideo ex vi prioris iurisdictionis non posse illis cōfiteri. Assumptum declaratur, quia tota religio est exempta à iurisdictione Episcopi in utroque foro, in hac autem exemptione religio accipienda est non ut ex professis tantum constat, sed etiam ut nouitios complectitur: ut exempli gratia, Societas Iesu, (ut in eius Constitutionibus adnotatur p. 5. in principio) vno modo accipitur ut complectitur omnes, qui sub obedientia Praepositi Generalis viuunt, etiam nouitios: cum ergo Pontifices, Paulus III. & Gregorius XIII. illam sub sua protectione suscipiunt, & ab Ordinariorum iurisdictione eximunt, intelligendi sunt, de illa loqui sub illa amplissima acceptione, ut patet ex illis verbis Pauli III. in sua Bulla vltima, *Ipſamque Societatem, & vniuersos illius socios, & personas, illorumque bona quacunque ab omni ſuperioritate, iurisdictione, & correctione quoruncunque Ordinariorum eximimus, &c.* Vbi particula illa, *vniuersos socios, & personas*, videtur habere emphasim, & ampliare etiam ad nouitios. Idem ergo erit in aliis religionibus, siue quia habent similia indulgentiae quae per communicationem hoc etiam gaudere possunt, siue etiam per regulas iuris communis. Quia beneficiū Principis amplissimè est interpretandum, & priuilegia sunt amplianda, quātum verba iuxta communem vsum patiuntur: hoc autem est priuilegium, & beneficiū Principis, & verba optime addunt hanc ampliacionem. Nam religio Minorum in omni proprio vſu dicitur tota illa congregatio, ut ex omnibus membris, etiam nouitios, constet: nam licet nouitios propriè religiosus non sit, propriè tamen est in illa cōgregatione, quæ illo nomine appellatur.

XVI. Dices, hanc exemptionem esse ipsiſ nouitiis onerolam, & ideo admittendam nō esse. Respondeo in primis negando consequentiam, quia gratia priuilegij magis est cōsideranda respectu totius religionis, cui immediate fit, quā respectu particulariū: nam sæpè etiam potest esse illa exemptio onerosa multis professis. Secundò respondetur negando assumptum: quia licet interdum onerosa esse possit ex aliquo accidenti, simpliciter tamen est fauorabilis. Vnde confirmatur præcipuè hoc fundamentū, quia nouitius gaudet non solum priuilegio canonis, sed etiam fori, & propriæ exemptionis religionis quoad alios actus iurisdictionis: ergo etiam & maiori ratione quoad iurisdictionem fori penitentiæ. Quæ ratio ampliùs in sequentibus comprobabitur. Hæc ergo tertia opinio videtur mihi verissimilior, & ex dictis fit satis fundamentis aliarū, quæ sua probabilitate non carent.

C A P V T XVIII.

Quid circa reſeruationem culpam in Religionibus statuerit Clemens Octauus.

I. VT de absolutione religiosorum à culpis, in qua versamur, dicamus etiam specialiter de reſeruatione, præmittenda est explicatio diplomatis, Pontificij circa reſeruationem. Dupliciter verò possunt casus aliqui esse reſeruati respectu religiosi, scilicet vel à Pontifice, vel ab ipsa religione. Prior reſeruatō communis, & vſitato iure non fit nisi cum aliqua censura reſeruata, iuxta dicta in 4. tom. 3. p. & ideo his peccatis reſeruati simul cum censuris dicemus in cap. 20. Circa aliam ergo reſeruationem suppo-

nendum est, posse prælatos religionum reſeruare sibi aliquos casus: quod est certum eadem certitudine, quæ id constat de Episcopis, & aliis prælatis circa suos subiectos: nam licet Concilium Tridentinū sess. 14. c. 7. solum Pontificem Maximum, & Episcopos nominauerit, tamen sine dubio sub Episcopis intellexit omnes habētes Episcopalem iurisdictionem: nam actus reſeruandi iurisdictionis est, & per se non pender à charactere Episcopali; siue neque actus absolueudi à peccatis. Item quia religiosi excepti (de quibus semper agimus) non ligantur reſeruationibus Episcoporum: ergo iustum est, ut subdantur reſeruationi propriorum prælatorum. Denique ita habet consuetudo ferè omnium religionum, ut infra in tractatu de Societate lib. 8. c. 5. in particulari referam: quam consuetudinem Pontifices confirmarunt, & approbarunt, præsertim Alexander VI. ut reſertur in Supplemento Minorū, & in lib. Monumenta ordinum, concess. 66. & nouissimè S. D. N. Clemens 8. peculiari decreto de hac re edito anno 1593. qui aliqua peculiariter circa hanc reſeruationem ordinauit, quæ hic adnotat, adiuncta breui declaratione, propter dubia, quæ quotidie interrogantur, necessarium vſum est.

Primò ergo ipse enumerat vndecim casus, qui in religionibus reſeruari possunt. *Primus, Veneficiæ, Incantationes, Sortilegia. 2. Apostasia à religione, siue habitu dimisso siue retento, quando eo peruenerit, ut extra septa monasterij, seu conuentus egressio fiat. 3. Nocturna, ac furtiua à monasterio, seu conuentus egressio, etiam non animo apostatandi facta. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo. 6. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum factum, etiam effectu non sequuto. 7. Falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterij, aut conuentus. 8. Furtum de rebus monasterij seu conuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 9. Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus. 10. Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiusque personæ. 11. Maleſitium impediens, aut retardatio, aut apertio literariū à Superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad Superiores.*

Circa quos casus primū aduertere oportet, quamuis in aliquibus eorum explicetur, necessaria esse materiam peccati mortalis, & opus externum, nihilominus has duas condiciones in omnibus illis esse intelligendas, quia peccata venialia sicut non sunt materia necessaria confessionis, ita nec propriè reſeruationis: peccata autem merè interna, etiam si mortalia sint, secundum communem Ecclesiæ vſum non reſeruantur, etiam si in rigore reſeruari possint. Pontifex autem cum aliud expresse nō declarat, loquitur secundum ordinariam legem, vel consuetudinem Ecclesiæ. Præterquam quod verba, quibus vtitur, in rigore & proprietate, prout sunt accipienda, significant externos actus. Vbi ergo huiusmodi declaratio addi videtur, nō est solum propter has condiciones, ut generales sunt, sed propter aliquid speciale, circa aliquam earum explicandū. In primo ergo casu nihil additum est, quia non erat necessarium, nam illud genus peccati externum est, & grauissimum, & vix potest in indiuiduo comitti, quin mortale sit. Quid autem sub illis vocibus comprehendatur, dictum est in primo tomo tract. 3. lib. 2. de vitiis virtuti religionis oppositis: & videri possunt Summiſtæ in illis verbis, & verb. Maleſitium, ac verb. Superſtitium.

IV.
Circ. 2. ca-
sum.

In secundo casu peculiariter explicatur, non sufficere quemcumque exteriorem actum: nam licet quis deliberato animo apostatandi exuat habitum regularem, & secularem induat, & curet, ac tentet egredi septa monasterij, & tandem id non exequatur, vel quia mutat voluntatem, vel etiam quia non potest, casus ille referuatus non est, quia non peruenit ad statum, & effectum, quem Pontifex designat. Et ratio esse potuit, quia vel antea non est perfecta iniuria illata religioni, ita ut cedat in infamiam eius, vel certe, quia antea non potest illa dici apostasia exterior.

V.
Circ. certii. furtiuu.

In tertio casu solum notanda est illa particula, *furtiuu*, quae idem significat, quod sine licentia prelati. Vnde licet quis exeat per vim, vel metum grauem immisum prelato, ne resistat, exterius nihilominus furtiuu dicitur egredi, quia inuito prelato, vel sine legitimo consensu eius egreditur: vnde illud peccatum non solum est quasi furtum, sed quasi rapina in illo genere, ut sic loquamur: generatim autem comprehenditur sub furto egressus, quia fit inuito prelato. Sed quid si prelatus consentiat, tamen inique, & contra suum officium, & contra honorem Dei, & religionis? Quid etiam, si ipse prelatus sic occulte egrediatur? Verumque censeo egressum furtiuum, & in hac reservatione comprehensum. Primum quidem, quia illa licentia iniusta est, & nulla, & ita nihil operatur: secunda autem, quia licet prelatus conuentus non habeat praesentem prelatum, cuius voluntate regatur, habet tamen regulam, & voluntatem Superioris prelati, aut totius religionis, aut expressam, aut secundum rectam rationem praesumptam, respectu cuius talis egressus furtiuus est. Denique modus talis egressus qualis ille sit manifestat, quia semper fit occulte, ac furtiuu.

VI.
Aliud dubium.

Dubitari verò etiam potest, an hic casus extendatur ad egressum furtiuum diurnum. Verba enim Pontificis sunt, *nocturna, ac furtiuu*, & monasterio egressio, ergo omnis furtiuu egressio illicita referuata est. Respondeo nihilominus illam dictionem, *ac*, complexiuu, & non diuisiuu esse intelligendam, ac propterea furtiuam egressionem si nocturna non sit, etiam si contingat esse peccatum mortale, ex vi illorum verborum non referuari. Sicut enim nocturna egressio non referuatur, nisi furtiuu sit, ut est per se euidentem ex ipsa re, quam ex intentione Pontificis ita è conuerso, furtiuu egressio, nisi sit nocturna, non referuatur, quia, ut illud prius verum sit, necesse est particulam *ac* complexiuu sumi: & inde sequitur etiam posterius, ut per se constat.

VII.
Circ. 4. &
5. casum.

Circa quartum casum nihil occurrit adnotandum, praeterea, quae dicta sunt de voto paupertatis. In quinto solum desiderari potest, ut explicetur, quid vocetur iudicium legitimum. Breuiter tamen dicitur, esse quodlibet iudicium forense, quod secundum leges, vel canones in suo foro, qui solet dici actus legitimus duarum personarum sub eodem iudice, &c. iuxta Glossam in cap. *form.* de verbor. signif. Videntur ergo ibi numerari iudicia regulare, & legitimum ad excludenda iudicia priuata per conuentiones, vel arbitria particularia. Addendū verò censeo, tunc esse hunc casum referuatum, quando religiosus legitime interrogatur, & sub iuramento veritatem negat: secus autem erit, si iniuste interrogetur, nam tunc licet sub iuramento neget, si respondere sciat, & debitam intentionem haberet, non erit periturus: si autem ex ignorantia, & conscientia erronea peccet, existimās illud esse periurium, non erit casus referuatus, quia illud externum non est verum periurium, sed putatum; reservatio autem restringenda est ut cadat super verum actum. Idem opinor dicendum esse, si quis iuret falsum testimonium contra aliquem in iudicio, quod

est nullum, vel quia fit coram non legitimo iudice, vel ob aliam causam, quia tunc illud iudicium non est legitimum, & quia iudicium, quod est nullum, non est iudicium, licet appareat, & ideo nec illud est periurium in iudicio verè, sed tantum apparenter.

Sextus casus non indiget declaratione, sed videri potest motus proprius Sixti V. contra illud genus peccati, & moderatio, quae à Clemente addita est, quae attigimus in 5. tom. de Censuris. In septimo interrogari potest, qui vocetur officialis monasterij. Ad quod breuiter dicitur, sub illa voce comprehendendi & prelatum ipsum, & omnes, qui sub illo habent aliquam administrationem personarum, aut bonorum conuentus, ut sunt Vicarius, Subprior, vel in Societate Minister, Procurator, & si qui sunt alij similes. Adde etiam comprehendendi à fortiori Prouincialem, & Generalem, iuxta mentem Pontificis, quia eo falsificatio grauior esset, & magis perniciosa religioni. Item, quia quilibet eorum dici potest officialis monasterij, vel conuentus: nam licet magis propriè appelletur totius prouinciae vel religionis, tamen ibi à fortiori singuli conuentus includuntur; quae extensio maxime locum habet in his, quae ipsi prelato fauorabilia sunt, & quae pertinent ad reuerentiam, & fidelitatem eius officio debitae, quae est hoc, de quo agimus. Occurrit etiam hic obiter adnotandum, supponere hic Pontificem tacite approbare vsum religionis, quod officiales eius propria habeant sigilla distincta ab his, quibus priuati religiosi vti possunt: non enim falsificatio cuiusque sigilli, sed propria talis muneris, referuata est. Quare, licet priuatus religiosus utatur aliquando proprio sigillo, & alius illud falsificet, non incurrit in hunc casum referuatum: & è conuerso, si officialis non habeat speciale sigillum, sed eiusdem figuram cum aliis, vel priuatum, quodcumque illud sit, falsificatio eius ex hoc capite non erit referuata, quia non est sigillum officialis ut sic, neque habet (ut ita dicam) auctoritatem religionis. Dixi autem ex hoc capite, quia ex alio falsificandi manum, erit casus referuatus.

Interrogari etiam potest, an fabricare sigillum simile sigillo religionis, vel officialium eius occulte, & furtiuu, sit falsificare sigillum, si per illud nulla falsa scriptura consignetur. Respondeo, sicut falsificare manum est subscribere cum nomine alterius, imitando subscriptionem eius, quae illius non est, ita falsificare sigillum propriè est consignare simile scripturam sigillo alieno. Quod dupliciter fieri potest, scilicet, vel subfurando proprium, & verum sigillum, & consignando, vel fabricando aliud sigillum simile, & illo vtendo. Quamuis autem hoc furtiuu fabricatio sigilli graue peccatum sit, tamen non videtur esse propria falsificatio, donec falsa litera per illud consignetur: & ideo non videtur esse peccatum referuatum etiam si hac intentione fabricetur, donec ad praedictum vsum, & effectum perueniat: sicut etiam furari sigillum prelati ea praua intentione, si ad effectum sigillandi non perueniatur, non erit peccatum referuatum ex hoc capite.

Denique interrogari potest, si scriptu, quod falso consignatur manui, aut sigillo officialis, non pertineat ad officium, nec ad rec. monasterij, sed sit familiaris epistola, v. g. falso alteri attributa, an tale peccatum referuatum hic sit. Et ratio dubitandi esse potest, quia illa non est falsificatio signi officialis, ut officialis est, videtur autem hic reservatio intelligenda respectu officialis formaliter, quia non respicitur persona eius, sed munus. Quod sane videtur probabile: nihilominus non excusarem huiusmodi actionem à ratione peccati obseruari, quoties materia eius sufficeret ad peccatum mortale, quia

quia simpliciter est contra fidelitatem debitam tali personae ratione talis muneris, & est iniuriola non tantum personae, sed etiam officio.

XI. De octavo casu, quantum spectat ad quantitatem sufficientem ut illud furtum mortale sit, superius tactum est, nam hoc peccatum semper habet adiunctam malitiam proprietatis. Quia vero ibi dicitur, *De rebus monasterij*, dubitatum est, an furari aliquid à priuato religioso ex rebus illi ad suum usum concessis, sub hac reuerentia comprehendatur: & pars affirmans dicitur fuisse ab ipso Pontifice declarata, in qua nulla mihi dubitatio esse posset: quia quod res sit applicata ad usum vnius fratris, non tollit, quin, absolute loquendo, sit monasterij, vel conuentus. Quin potius, licet priuatus religiosus habeat usum eius cum facultate donandi illam etiam extra religionem, nihilominus furari illam, erit reuerentia culpae mortalis sit, quia quado illa res non est consumpta, vel alienata extra religionem, semper est monasterij quoad proprietatem, & dominium, vel quoad principalem administrationem, & dispensationem (ut monasteria comprehendamus, quae dominium in communi non habent,) & hoc satis est ut comprehendatur sub verbis Pontificis in omni proprietate. Sed quid si res non sit alicuius monasterij in particulari, ut solet esse, v. g. pecunia, qua Prouincialis vititur, vel res alia similes. Respondetur sine dubio comprehendere, iuxta dicta in precedenti casu: nam sub illo singulari monasterij, vel conuentus, à fortiori comprehenditur plurale conuentuum, vel monasteriorum; bona autem prouinciae ut sic sunt omnium monasteriorum simul.

XII. Circa nonum casum est familiare dubium, quid significant illa verba, *oper. consummatus*; duobus enim modis intelligi possunt. Primum, ut sint posita ad excludendum lapsum per consensum internum, vel mortalem delectationem, ita ut solam significetur, oportere ut tale peccatum in opus externum progrediatur, & in illo consummatur quatenus peccatum mortale est. Alius sensus est, ut peccatum sit consummatum in sua specie. Prior sensus est rigorosus, nam iuxta illum omnia peccata externa habentia malitiam mortalem ex ipsa materia, & actione exteriori, continentur sub hac reuerentia sic declarata, ut sunt, v. g. tactus impudici, qui ad ultimam consummationem non perueniunt. Dixi autem, *ex ipsa materia*, & *actione exteriori*, quia si materia exterior reuera sit leuis, quamuis ex prauitate intentionis fiat actio exterior peccatum mortale, non erit reuerentia ex vi horum verborum, quia reuera dici non potest opere consummatum. Alius sensus est mitior, & quantum intelligere potui, communiori sensu receptior; iuxta quem sensum actus impudicus, si non perueniat ad consummationem actus in sua specie, fornicationis, v. g. vel alia simili, non erunt casus reuerentia, quia non sunt opere consummati. Solum aduerto, quod peccatum peruenit ad pollutionem, esse in omni rigore opere consummatum, & consequenter sub illa reuerentia comprehendere, quia illud peccatum habet propriam speciem, in qua consummatur iuxta doctrinam D. Thomae 2. 2. q. 154. art. 11. & hoc satis est ut sit reuerentia, quamuis non perueniatur ad consummationem illius actus, quem fortasse peccans intendebat, vel in quem natura sua actus impudici ordinabatur, copulam scilicet carnalem.

XIII. In decimo casu nihil occurrit ad notandum. In vndecimo solum est ponderandum illud verbum *malitiosum*, ut inde colligatur si fiat bona fide, etiam imprudenter, & cum graui negligentia, non esse casum reuerentia: nam verbum *malitiosum* non tantum significat fieri cum graui culpa, sed etiam fieri ex malitia, id est, ex directa intentione impediendi

effectum literarum, & retardandi illas, existimo etiam illud verbum coniungendum esse etiam cum aperi- tione literarum, nam, ut reuerentia sit, oportet ut ex malitia fiat: ad hoc autem satis erit, quod fiat intelligendo, aut praesumendo id esse contra voluntatem Superioris, nam tunc sufficiens malitia interuenit.

XIV. Est autem circa hos casus vltimius aduertendum, Pontificem non precipere ordinare, ut omnes hi casus reuerentur in religionibus, ut manifeste patet ex illis verbis, *De rebus* (scilicet Pontifex) *ut nemo ex regularium Superioribus peccatorum absolutio, si sibi re- seruet exceptum in, quae sequuntur, aut omnibus, aut eorum a- liquod, aut subditum vilitati expellere in Domino iudi- cauerint*. In quibus verbis nullum est precipiens, ut hi casus reuerantur sint, sed solum prohibens, ne Superiores religionum alios reuerant, & eis permit- tens ut ex his possint, quos expedire iudicauerint, reuerare. Vnde inferitur, per hoc decretum non auferri à Superioribus potestatem reuerandi casus, sed ad talem materiam limitari. Et quoniam iam praedictis verbis Pontifex indefinite loquitur de Superiores, existimo ex vi illorum non solum Gene- ralem, vel Prouincialem, sed etiam praelatum Con- uentualium posse praedictos casus, vel quemlibet eorum reuerare, etiam si in religione reuerant non essent. Quod non ita intelligendum est, ut Pontifex censetur dare praelatis nouam aliquam potesta- tem, sed solum non auferre; ita ut si Guardiani, vel Priores antea habebant priuilegia reuerandi casus, (quod esse concessum ab Alexandro VI. re- fertur in lib. Monum. ordin. & in Supplemento Minorum) etiam nunc habent eandem potesta- tem, sed restrictam ad hos casus à Pontifice desi- gnatos: imò ex potestate ordinaria existimo posse idem facere, nisi alias sint prohibiti per suam regu- lam, quia sunt veri praelati Ordinarii, & ha- bent altiore iurisdictionis rationem, quam Pa- rochi.

XV. Praeterea obseruandum est, quod licet Pontifex restrinxerit potestatem praelatorum ad illos vnde- cim casus, non abstulit omnino religionibus pote- statem alios reuerandi, sed voluit ut id solum fieri posset vel à Capitulo generali pro tota religione, vel à Capitulo prouinciali pro sua prouincia. Vbi etiam aduerto, non fuisse mentem Pontificis dare Capitulis nouam potestatem, sed solum non aufer- re quam iuxta sua priuilegia, vel constitutiones ha- bebant. Vnde in Societate, in qua congregatio pro- uincialis iuxta suum institutum non habet iurisdic- tionem ad huiusmodi actus, etiam nunc illam non habet, non obstantibus praedictis verbis Pontificis. Ad quod etiam expendo, solum negatiue dicere, non aliter sint quam generali, vel prouinciali Capituli, &c. non dicere autem positiue, ut ab eis, & à quolibet illo- rum fieri possit.

XVI. Dicunt autem aliqui, hanc prohibitionem, seu limitationem non esse vfu receptam in aliquibus re- lationibus: quia saepe contingit euenire casus parti- culares, qui propter bonum regimē necessario sunt statim reuerandi, non expectato Capitulo generali, quia alias maxima incommoda religioni sequerentur. Sed nullo modo censeo hoc esse admittendum in praxi, nam lex Pontificia non pendet ex accepta- tione, sed ipsa obligat ut acceptetur, & ideo primi transgressores post sufficientem promulgationem non excusantur à culpa, nec continuata transgressio sufficit reuocare legem, donec valde frequens sit, & ab ipso legislatore scienter tolerata, quod in praesenti nullo modo video dici posse: quia nec talis consuetudo huic legi contraria ostendi potest, & multò minùs quod Summus Pontifex scienter to- lerat illam: maximè verò hoc habet locum in lege irritante, qualis est haec, auferit enim potestatem, & consequenter reddit nullam reuerentiam aliter factam.

XIV. Secunda principalis obseruatio circa eosdem casus in v- nius sum.

XV. Tertia ob- seruatio.

XVI.

factam. Quapropter sine scrupulo possunt subditi non timere illam, quantumcumque illis dicatur, prohibitionem Pontificis non esse acceptam. Ratio autem de incommodis religionis vel probat prohibitionem prohibitionem esse contra commune bonum religionum, quod dicere plusquam temerarium esset: vel certe nihil probat, quia vel nulla sunt talia incommoda, quibus aliis mediis occurrere non possit, præsertim pro brevi tempore: vel si aliquod interdum sequatur, est rarum, & particulare, quod lex humana non considerat.

XVII.
Dubium an possint prelati religio-
servare cen-
suras esse non
possint cen-
suras.

Resolutio
vera.

Potest autem dubitari, esto non possint prelati immediatè, & directè reservare sibi alias culpas, possint nihilominus reservare censuras. Et ratio dubitandi est, quia à diversis non fit illatio; censura autem, & peccatum, & utriusque reservatio diversa sunt. In contrarium autem est, quia iuxta communem usum Ecclesiæ quoties peccatum habet excommunicationem ipso facto annexam, si excommunicatione reservata sit, etiam peccatum censetur reservatum. Item, quia alias possint prelati religionum per hanc viam eludere hoc præceptum, adiungendo censuras, & illas sibi reservando. Respõdeo, debere prelatos omnino cauere, ne hac occasione multiplicent censuras: nam, ut in iure dicitur transgressio legis merito iudicatur qui verba legis tenens, contra legis nititur voluntatem. Nihilominus existimo, prelatos religionum non esse priuatos per hanc legem suo iure seruandi censuras: quia reuera est per se distincta, & mens Pontificis non fuit de illa tractare. Declaramusque in hunc modum, quia vel censura fertur à lege, vel ab homine à lege, reservari poterit ab auctore legis, quia in religionibus auctor talis legis non est nisi Capitulum generale, vel provinciale, quæ potestatem habent reservandi casus, etiam ex ordinatione Pontificis. Si autem censura est ab homine, eo ipso absolutio eius pertinet ad ferendam illam, & ita dici potest illi reservata. Et quamvis de illa, quæ fertur per sententiã generalem, sint opiniones, tamen non dubito quin ad tollendas illas possit Superior etiam nunc sibi talem absolutionem reservare, cum illi non sit prohibitum, ut dixi, & per accidens sit quod ratione censura non possit à tali peccato absolui, nam hoc etiam sequitur ex censura per sententiã particularem.

C A P V T XIX.

Quis possit absolvere religiosos à culpis reservatis.

I.
Prima Af-
ferio, negat
hanc potes-
tatem ex-
tra religionem.

Quid de no-
titiis.

Supposita iam reservatione superiori cap. explicata, facile est definire, quis possit religiosos absol-
uere à peccatis sic reservatis. Primò enim dicendū est, per se loquendo, & iure ordinario à nemine posse absolui extra suam religionem, præterquam à Summo Pontifice. Hoc patet, quia dictum est in c. 16. à communibus etiam peccatis non posse extra religionem absolui: ergo à fortiori idem dicendum est de peccatis specialiter reservatis. Vnde fit, ampliandum esse etiam ad eos, qui habent iurisdictionem delegatam à Papa per generalia privilegia absol-
vendi à reservatis: nam in illo c. ostensum est, hæc privilegia, siue sint concessa ex parte penitentium, siue ex parte confessorum, non extendi ad personas religiosorum: ergo nec facultas in eis concessa extenditur ad peccata reservata in religionibus. An vero hæc ampliatio extendenda sit ad novitios, iuxta superius dicta c. 17. à n. 11. definiendum est. Novitij enim gaudere possunt dictis privilegiis, & id eo absolui poterunt per eorum facultates: per communem autem iurisdictionem Episcoporum absolui non possunt à reservatis, quia neque ab aliis possunt, ut diximus eodem c. 17. n. 14.

Sed quid de religiosis iter agentibus? Quidam aiunt, non posse absolui ab externis confessoribus ab huiusmodi peccatis. Ratio est, quia per privilegium Sixti IV. Innocentij VIII. & similia, solum eis conceditur, ut possint confiteri sacerdotibus regularibus, vel secularibus, dum iter agunt: in hac autem facultate generali non comprehenduntur casus reservati, ut in iure declaratum est. Neque etiam illa facultas censetur concessa à prelati, nisi expressè, & in specie declaratur, ob eandem causam quod casus specialis sub generali concessione non comprehenditur. Et hoc specialiter confirmat, quia nonnulli Pontifices prohibuerunt Mendicantibus prelati, ne casus reservatos extra suos ordines committant, ut ex lib. Monumenta ordinum referunt Corduba in c. 7. Regula S. Francisci, q. 3. & Emmanuel Roder. tom. 1. q. 62. a. 5. Respõdeo nihilominus, nullam posse in hac re generalem regulam assignari, sed consulendam esse regulam, consuetudinem, vel peculiarem providentiam prelatorum vniuscuiusque religionis. Moraliter enim loquendo, necessarium est, ut aliquo modo in hac parte subditi religiosis provideatur: nam si sint sacerdotes, quoties possunt indigere confessione, quia debent frequenter celebrare, & per plures dies abstinere, & scandalosum esse potest, & eis nocivum, & nimis molestum. Si autem sacerdotes non sunt, etiam expedit ut sæpius communicent; esseque præter debitam religionis providentiam eos cogere, ut à communione abstineant vsque ad reditum in monasterium: quamvis enim hæc possit esse iusta pena religiosi sic peccantis, esset tamen nimis rigorosa, & non admodum medicinalis, nisi ubi censura interuenit: præterquam quod periculosum esset cogere religiosum, qui fortasse ex fragilitate moraliter peccavit, ut per multos dies sine sacramentali absolutione permaneat.

Ob hanc ergo causam Innocentius VIII. ut dicti auctores referunt ex Compendio Cisterciensis, ver-
bo Confessor. §. 15. concessit Prædicatoribus monachis, ut extra monasterium ordinem existentibus de licentia Superiorum cuiusque regulari, seu seculari sacerdoti confiteri possint, & à quocunque casu, quomodocunque reservato absolui, sicut à confessoris ordinis. Quæ verba mihi ambigua sunt: nam illa particula de licentia Superiorum, potest cum antecedentibus, & consequentibus coniungi, quia nulla virgula interponitur; reddet autem sensum valde diversum, si vno, vel alio modo construat: nam constituta præcedentibus, sensus est, religiosum, qui ex licentia Superiorum extra monasterium existit, eo ipso posse absolui, & ita ut illa verba addita sint ad excludendum fugitivos ab huiusmodi gratia, & ad significandum, licentiam sic confitendi, vel ab ipso Pontifice eo ipso dari, vel intelligi inclusam in ipsa licentia peregrinandi. Si autem prædicta verba tantum subsequenter coniungantur, sensus est, eos, qui extra monasterium existunt, posse de licentia suorum Superiorum absolui. Sed hic posterior sensus minus apertus videtur, tum quia hoc per se notum est, tum etiam, quia idem dici posset de exil-
libus in monasterio Prior ergo sensus videtur proprius, & intentus. An vero illa concessio sit vsu recepta in aliis religionibus, mihi non constat, neque existimo fuisse necessarium, tum quia non est omnibus directè facta, & aliæ non coguntur communicationem eius admittere: tum etiam, quia non continet præceptum, sed datur per modum privilegii cui renunciare potuit illa religio, cui directè concessum est. Et adhuc certius existimo non cogi prelatos religionum illam facultatem absolvi de-
res, sed eo modo, quo expedire iudicaverit. Quod & per se est rationi consentaneum, quia Pontifex non intendit relaxare disciplinam religiosam, sed tantum